B. 308.

DISSERTATIVNCVLA

DE

# AQVIS SVPRA-COELESTIBVS,

QVAE E LOCO ILLO CONTROVERSO GEN. I, 7. NON PROBARI, SED REFVTARI QVEVNT ET DEBENT, CL. AVCTORI

NOVELLARVM ERVDITORVM LIPSIENSIVM INSCRIPTA

A

JO. JVSTO von Linem.
V. D. M.

MAGDEBVRGI,
LITTERIS GODOFREDI VETTERI. 1738.

§. 1.

Beatus D. JO. HENRICVS MAJVS, inter præstantissimos currentis hujus Seculi Theologos & Exegetas merito numerandus, *) in hunc locum in Oeconomia sua temporum V. T. p. 35. ita commentatur: *qui hunc versum de nubibus interpretantur, ut post alios fecit Jo. Clericus, vim iis inferunt. Conferatur supplementum Dan.* III, 16. *ex quo, licet Apocrypho scripto, colligi potest, Judæos antiquiores statuisse aquas supra cœlestes, & ex Canonicis libris hausisse.* Quibus verbis Ven. Auctor cum aliis aquas supra cœlestes è sacris litteris probare adnititur, quæ etiam in selectis meis ad JO. CLERICI scripta animadversionibus P. I. p. 121. adduxi.



*) Vd fis introductionem nostram in Bibliothecam Hebræam de eo p. 141. sqq.

§. 2.

Quia vero ex incuria Typographi citatio hujus Oeconomiæ omissa est, ut in Mscto meo postea vidi; inde factum, ut Cl. auctor eruditarum Novellarum Lipsiensium, de anno MDCCXXXV. mensis Decembris, in recensione dicti libri mei B. D. MAJI expositionem non potuerit non mihi adscribere, provocans ad B. D. JO. FRANC. BVDDEI testimonium, quod in historia ipsius Ecclesiastica V. T. reperitur T. I. p. 71. in hunc locum, & ita habet: *Scholasticorum, aut si mavis, Patrum quorundam, adde & Judæorum, figmento de aquis supra cœlestibus hodie in tanta Philosophiæ luce vix quisquam amplius locum relinquet.*

§. 3.

Huic testimonio suum quoque judicium, rigidum quidem sed verum, subjungit, quando vernaculo sermone addit: *Denn es ist ausgemacht, dass die Sterne nicht in gleicher Weite von der Erde stehen, dass der Raum uber ihnen mit Wasser angefüllet seyn könte: sie sind auch nicht an eine Feste geseтzet, wie*

*wie es Lutherus giebet, den die Vulgata, oder die LXX. Dollmetscher verleitet haben mögen. Das Hebræische Wort kommt mehr dem ausgebreitetem Lufft-Raume, als einer festen hohen Kugel zu. Mit dergleichen eigenmächtig in die Schrifft getragenen Lehren wird dem Ansehen derselben schlecht gerathen. Die Wahrheiten, die in der Natur liegen, offenbahren sich uber lang oder kurtz dennoch, wenn sie gleich manchmal lange verborgen geblieben sind. Und ein Gemüth, das sich fest bereden lässet, als behaupte die Schrifft so etwas, dessen Falschheit sich mit der Zeit klar an den Tag legt, muss hiedurch nicht wenig in Verwirrung gerathen. Die Beschuldigung, dass der Schrifft Gewalt angethan werde, trifft die Ausleger, welche eine Feste darinn finden wollen, gewiss am meisten.*

§. 4.

Quum igitur lato hoc non immaturo judicio occasio mihi data sit, locum hunc, quod non nego, curatius & penitius inspiciendi, non possum non istum primum à

siniſtris & ambiguis interpretationibus vindicare, deinde veram ejus expoſitionem è fonte ipſo philologice erutam ſubnectere, tum Philoſophicis rationibus ſufficientibus declarare, ac denique, ſi vixero, eandem ſecundæ dicti libri editioni cum aliis quibusdam emendationibus ac ſupplementis inſerere.

§. 1.

Secundi diei opus eſt aquarum diſtinctio. In Ebræo eſt vox רָקִיעַ, quæ ab auctoribus varie explicatur. Nonnulli hoc vocabulo intelligunt cœlum ſtellatum, ſequuti forſitan LXX. Interpretes, id vocabuli per vocem στερέωμα, ſtabilimentum ſeu firmamentum exponentes, eo quod cœlum ſit ſtabile, i. e. nulli corruptioni obnoxium. Unde etiam plerique ſcholaſtici, Ebrææ & Græcæ linguæ ignari, quum apud Vulgatum viderent firmamentum, illud vocabulum de cœlo ſtellato ſunt interpretati. Huic opinioni non pauci adſtipulantur veteris & recentioris ævi Theologi & Philologi, eandemque probare ſatagunt 1) ex ſeq. verſu 7. Gen. l.

Ubi

Ubi dicitur Deum vocasse expansum cœlos. 2) ex v. 14. & seq. in quo luminaria dicuntur in expanso cœlorum constituta, quæ inter diem & noctem distinguant, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Atqui luminaria & astra omnia constituta sunt in cœlo ætherio. Ergo cœlum ætherium expansi nomine est intelligendum. Nonnulli per expansum angelos in bono confirmatos; immo alii atque alii aliud atque aliud intelligi cupiunt.

§. 6.

E *veteribus* Theologis & Philologis, qui locum nostrum de cœlo stellato & aquis supra-cœlestibus exposuerunt, conferatur inter alios LVCAS OSIANDER, hujus nominis Senior, non infimæ alias notæ Paraphrastes Biblicus, qui eum hunc in modum παραφράζει: Et fecit Deus firmamentum, seu extensionem, de qua dictum est; divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum: ita ut firmamentum s. cœlum in medio aquarum esset. Quum enim terra permixta esset aquis, quæ

plus terræ permixtæ habebant: eamque partem aquarum, interpoſito firmamento cœleſti, in altum evexit, atque ab inferioribus aquis diviſit. Ergo ſupra cœlum illud ſtellis exornatum continentur aquæ, quarum uſus Deo ſapienti Creatori eſt notus. Certe cœlum conſtat ex aquis, & ſupra cœlum eſt aquarum ingens mare, quod capitibus noſtris imminet: & tamen divinitus conſervantur, tam cœlum, quam aqua, ne terram & humanum genus opprimant.

§. 7.

E *recentioribus* cum Oſiandro convenit CHRISTIANVS CHEMNITIVS, in collegio ſuo Theologico ſuper Geneſin Cap. I. quæſt. 6. ubi ad illam quæſtionem, an dentur aquæ ſupra-cœleſtes, reſpondet: 1) negant quamplurimi, quos inter ORIGENES, PERERIVS & alii; & inprimis aquas ſupra cœlum eſſe, CALVINO prorſus eſt incredibile. Qui itaque ſententiam hanc ſequuntur, aut per רָקִיעַ intelligunt *aërem*, aut conceſſo, quod per hanc vocem denotetur *cœlum*; particulam מֵעַל interpretantur non *ſuper*, ſed

sed *desuper*, sive subter: quemadmodum & Lutherus reddiderit Ps. 148, 4. Laudate Dominum aquæ, quæ sunt supra cœlos: und die Wasser, die oben am Himmel sind. Ac ita per has aquas intelligunt aquas in nubibus. 2) Sed communior est sententia, quam etiam GESNERVS, GERHARDVS, RVNGIVS & LVTHERVS sequuntur: vere dari aquas supra cœlestes. Et hoc a) propter clarissimam Mosis literam, b) propter Scripturæ consonantiam Ps. 104, 2. 3. & Ps. 148, 4. c) ob venerandæ antiquitatis concordiam. Sic enim AVGVSTINVS lib. II. de Gen. ad lit. c. 4. Major est hujus Scripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas. d) ob finis convenientiam: sunt enim ibi collocatæ ad ornatum & complementum universi, & ut præbeant materiam laudis divinæ Ps. 148, 4. 3) Pulcre LVTHERVS in Genesin p. m. 8. *Ego quidem libenter imaginarer, firmamentum esse supremum corpus omnium, & aquas non supra, sed sub cœlis pendentes, & volantes, esse nubes, quas cernimus, ut sic aquæ ab aquis distinctæ intelligantur nubes, divisæ à nostris aquis in terra. Sed Moses manifestis verbis*

*aquas supra & infra firmamentum esse dicit. Quare captivo hic sensum meum, & adsentio verbo, etiamsi id non adsequar.* Si quis tamen alteram sententiam sequatur, & refugium quærat, aut in voce רָקִיעַ, aut מַעַל, non erit accusandus perversitatis.

§. 8.

Sed nos, tutiorem & sacris litteris convenientiorem sententiam sequentes, dicimus: in Hebræo רָקִיעַ esse generale nomen, & quodlibet expansum denotare, ita ut tam aëri, quam ætheri conveniat. Quod autem expansi nomine non ætherium cœlum, sed aëria moles, per omnia loca extensa, significetur, è textu colligitur. Cœlum ætherium jam prima die creatum dicitur: Præterea legitur, quod expansum sit in medio aquarum. Duo hæc elementa, terra scilicet & aqua in principio creationis locis non fuerunt inter se distincta, sed confuse unum constituebant globum, & terra, veluti elementum gravissimum, in centro constituta, aquarum mole undiquaque fuit cooperta. Postero die de aqua quasi exhalare nubes

fecit

fecit Deus, inter quas & inferiores aquas quasi medius expansus est aër, qui sæpius in sacra Scriptura nomine cœli venit.

§. 9.

Sunt nonnulli, qui per aquas intelligere volunt tales, quæ supra extremum essent cœlum, idque probari ex hoc loco autumant, dicentes: expansum esse supremum cœlum. At erronea est hæc sententia, & falsa nititur hypothesi, scilicet expansum de cœlo extremo seu stellato exponendum esse.

§. 10.

Nam in textu originali non dicitur supra firmamentum, sed *à desuper*, hoc est à supremis locis expansi esse. Satis apte Germanice diceres: von oben herunter, vel: an der Feste des Himmels, non uber der Feste des Himmels, & opponitur aquis, quæ sunt in locis infernis.

§. 11.

Nequaquam autem opus est, ut, quando dicuntur illæ aquæ à superioris locis expansi esse, sint super cœlum extremum; sed sufficit, si sint supra nos, & tunc recte dicuntur desuper, respectu expansi esse.

§. 12.

§. 12.

Et certe non potest dici de aquis, quæ sunt supra omnes cœlos, ut probatur è contextu. Nam dicitur, quod expansum sit constitutum sit *in medio aquarum*, & dividat aquas, quæ sunt infra expansum, & quæ sunt supra expansum. Ecquis quæso de cœlo ætherio statueret, quod dividat aquas superiores ab inferioribus? unde expansum hoc minime potest intelligi, nisi de aëria regione.

§. 13.

Non autem obstat locus Gen. I, 8. ubi Deus vocavit expansum cœlum; nam vox cœli non ætheriæ modo, sed & quandoque aëriæ regioni tribuitur, ut Gen. I, 12. Deut. IV, 18. ubi cœlum denotat aërem terram ambientem, in quo sunt nubes. Et hinc adpellantur volucres cœli. Matth. VI, 25. Accipitur quoque cœlum in profanis scriptoribus pro aëre. ut apud PLINIVM Lib. II. de historia mundi cap. 23.

§. 13.

Cum textu Biblico & genuina hujus, quam dedimus, explicatione omnino quoque, quod

quod B. MAJVS negat, optime consentiunt *Judæi antiquiores*. Nam sic etiam explicat v. 7. ABEN-ESRA in זהו הרקיע הוא האויר. בי expansum hoc nihil aliud est, quam aër. Et R. SALOMON JARCHI in בי inquit: על הרקיע לא נאמר Non dicitur: אלא מעל הרקיע לבי שהן תלויים באויר super expansum, sed מעל desuper expansum, propterea quod aquæ illæ in aëre sunt suspensæ. Unde hoc R. DAVID KIMCHI in commento suo super Psalmum 77, 20. plane extra controversiam posuisse videtur, quum ait: ונקרא האויר על אמתתו רקיע כמו שאמר יהי רקיע בתוך המים aer verissime adpellatur expansum, quemadmodum hujus rei exemplum habemus Gen. I, 6. fiat expansum in medio aquarum. Nec insolens est hæc vocis acceptio à Rabbinis excogitata; ipse siquidem David eam admisit Ps. XIX, 1. opus, inquiens, manuum ejus adnuntiat firmamentum vel expansum: ubi Hebræum רקיע aërem notare, fidem *Chaldæus Paraphrastes* fecit, quando vertit אוירא. Interea B. MAJI, laudem nostram qui superat, famæ nihil detractum volumus, quippe qui laborum mole obrutus in hanc materiam, quæ simul philosophica est, non inquisivit.

§. 15.

§. 15.

Quod denique ad *Philosophica*, eademque Physica & Astronomica, fundamenta attinet, cogitationibus Domini Censoris Lipsiensis subscribo in tantum, non in totum. Etiamsi enim iste sentiat, (quod equidem grata mente agnosco) quod stellæ non in æquali à terra distantia se repræsentent, multo minus spatium super illas aqua repletum esse possit, nec eaedem in firmamento, quippe quod non datur, (§. 5.) positæ sint; hoc tamen certum est, quod pleræque stellarum, quas fixas vocamus, unam à se invicem distantiam retineant: paucæ vero respectu reliquarum, quæ planetæ audiunt, statum suum mutent. Et quamvis spatium super stellas aqua repletum non sit, materia quoque cœli, quæ spatium supra & infra stellas replet, subtilior sit, quam nostra atmosphæra, & ideo materia, quia subtilior est nostro aëre, firma materia esse non possit; unde materia veterum crystallina, è qua cœlum compositum esse putatur, merito explodatur: nihilominus manifestum est, quod, licet stellæ in nullo firmamento vel loco stabili positæ sint, multo minus spatium super

illas

illas aqua repletum sit, nec omnes stellæ in æquali à terra distantia positæ existant; cœli tamen spatium subtili eaque fluida repletum sit materia, quæ multo subtilior est nostro aëre, quamque nos vernaculo sermone die *Himmels-Lufft* nominamus, in sensu latiori aquas supra-cœlestes. Et hac ratione B. LVTHERI versio quodammodo potest excusari.

§. 16.

Ceterum si & alii Viri docti occasionem mihi dederint, plures materias mei in thesi prima citati libri ulterius indagandi & enodandi, promtum me nunquam non habebunt paratumque. Nam

*Hæret profecto semen introrsum veri,*
*Quod excitatur ventilante doctrina:*

ut præclare BOëTHIVS, hoc est, objectionibus & interrogationibus quam feliciter latens veritas aperitur, & multarum rerum error recluditur!

FINIS.

AD 267
S
V1018
241

DISSERTATIVNCVLA

DE

# AQVIS SVPRA-COELESTIBVS,

QVAE E LOCO ILLO CONTROVERSO GEN. I, 7. NON PROBARI, SED REFVTARI QVEVNT ET DEBENT, CL. AVCTORI

NOVELLARVM ERVDITORVM LIPSIENSIVM INSCRIPTA

*A*

JO. JVSTO von Linem.
V. D. M.

MAGDEBVRGI,
LITTERIS GODOFREDI VETTERI. 1738.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-289811-p0025-0